

GASPERIS SCOP-
PI FRANCI
PANEGERICVS

CLEMENTI VIII.
PONT. MAX.


Pro Nuptijs

PHILIPPI TERTII HL.
SPANIARVM ET INDIA-
rum Regis,

Item

ALBERTI ARCHIDVCIS AV-
STRIACI DICTVS.

Nunc primum in Germania excusus.



INGOLSTADII,
Ex Typographia E D E R I A N A,
apud Andream Angermarium,

M. D. IC.



ADMODVM REVE-
RENDO ET CLARISSIMO
DOMINO FRIDERICO FORNERO, SS.
Theologiae Doctori, & Canonico ad S. Stephana-
num Bambergæ, Domino meo ob-
seruando.



Vm librum tuum de Indulgen-
tiis & Iubilæo, vir clarissime, ex-
cudo, oblatus est mihi Gasperis
Schoppii Franci panegyricus,
Clementi IIII. Pontifici Maximo Ferra-
ria dictus, & ibi publicatus. Quem multis de-
caussis typis meis denuò euulgare volui. Pri-
mum enim alliciebat me ipse Auctor, qui editis
libris non exiguum nomen inter doctos sibi com-
parauit, & transitione ab Hareticoruſ stipen-
diis ad Christi castra, clarior nuper esse cœpit,
viamq; prauuit viris & adolescentibus erudi-
tione politiore alioquin egregiè excultis, ut &
ipsi cum doctrina ornamenti religionem verā
coniungant, stylumq; cui maledictis in pon-
tifices


tifices iaciendis habendas laxant , benedictis
corrigat. Deinde cum panegyricus hic sit qua-
si Epitome rerum praeclarè à Clemente VIII.
gestarum : breviaria autem grata & accepta
esse soleant , occupatis maximè alioq; festi-
nantibus , putavi , me rem multis non iniucun-
dam facturum , si ea , qua pontifex ille , qui nunc
ad Ecclesie gubernacula sedet , felicissime &
ante & post pontificatum initum egit , in hoc
panegyrico , tanquam in tabella quadam co-
loribus artificiose expressa , Germanis , & pra-
sertim Franciis , (ex quorum nobili sanguine
Schoppius existit) spectanda proponerem .
Tibi autem , Reuerende Domine , hanc nouâ
editionem inscripsi , ut propensa tua in me ,
meamq; officinam typographicam voluntati
qualem qualem vicem reponerem , teq; qui pa-
tronus meus esse cœpisti , ad perpetuandū pa-
trocinium inuitarem . Ingolstadii 21. Septemb.
anno Domini M. D. IC.

T. excell. addiciss.

Andreas Angermair

Typographus Ingolstadien.

PANEGYRICVS
CLEMENTI VIII.
PONTIFICI MAXIMO
dictus.



ON eram nescius , Beatissime Pater , cùm in hoc
orbis terrarum viuieri amplissimo augustissi-
moq; confessu de rebus tuis præclare gestis verba
facere primum cogitarem , fore vti rem noui
prorsus exempli , nec satis attente penitam ag-
gressus à plerisque existimarer .

Nec enim defuturi sunt , qui audaciam accusa-
bunt meam , quòd res omnia omnium sæculorum ingenia defatiga-
turas , & magnitudine , ac pondere suo depressuras , hoc est , à te gestas ,
humoris ipse meis imponere audeam , eaq; oratione mea pingi , ac pro-
merito , & dignitate sua commendari posse confidam .

Alijs autem partim decorè pudori meo consuluisse credar , quod
in tanta hominum doctissimorum luce , quales quantosq; in ea curia
reperiri necesse est , ad quam ex omni orbe Christiano , velut ad mer-
catum quemdam quicunque doctrinæ , & virtutis lucrum factitare
cupiunt , confluere consueverunt ; Ego potissimum ad dicendum sur-
rexerim , qui comparatione inter me , & illos qui tacent facta , cum
omni illa literarum existimatione , quam apud quosdam nonnullis
lucubrationibus meis de me qualecumque concitauit , vix in vlti-
mis scholasticæ umbræ , & minorum gentium literatoribus locum
obtinere possim .

Nonnulli vero iudicium in me cum primis desiderabunt , dum ar-
bitrabuntur , hanc tantam solennitatem , quantam haud scio an no-
stra memoria quisquam viderit , aliam aliquam materiam decuisse ,
hancq; gestorum tuorum commemorationem paulò ab hoc tempo-
re , & loco alieniore fuisse .

Alijs denique , agrè effugere potero , quin assentationis alicuius af-
finis videar , adeoque rerum pueriliter imperitus , quod & in tua ,
Beatissime pater , præsentia laudes tuas recensere , & ijs vero aures tu-
as animumq; modestissimum onerare , ac grauare coner .

Verumtamen vt quominus alij de facto hoc meo , quod volunt ,
existiment ac suspicentur , impedire nequeo (siquidem suspicio sem-
per ,

per, quod Comicus ait, in pectore alieno sita est) ita me consilij institutis mei rationes benignis, & cordatis existimatoribus liquido, & exiguo negotio probaturum confido.

Si qui enim sunt, qui me pondere non prius librato ceruices hasce, impares prorsus futuras, nequaquam onerare, hoc est, magnitudine rerum tuarum gestarum deterritum ab earum laudatione, & encōmio abstinere debuisse existimat: eos ego exoratos velim, vt me nonnihil à suo iudicio, hac quidem in parte, abire patientur. Etsi enim ea, quæ multis iam annis communiri reip. Christianæ bono præclarè multa egisti, talia sunt, vt non solum multorum retrò Pontificum gloriam coniunctim repræsentare, sed & priscorum illorum Silvestrorum, Leonum, Gregoriorum, aliorumq; laudes, ac præclara facta nobis in animum reuocare videantur: non tamen intelligo, cur (quod isti existimant) ab illis pro virili prædicandis abstinere debeam. Vt enim quæ ipsa rei magnitudo requirit, dicendo assequi non valeam: at illius certè gratiæ mei animi, qualem se omnes tibi Christiani pro compluribus amplissimis in Ecclesiam meritis debere profertur, qualem cunque significationem dederο. Vt illud interim hictaceam, quod mihi inexercitato in dicendi arte tyroni accidit, idem disertissimus quibusq; hominibus similiter vñuenturum fuisse, si eamdeni ipsi prouinciam suscepissent. Cuius enim (Deum inamortalem) tantum est flumen ingenii, cuius dicendi tanta vis, tantæ scribendi vbertas, vt eius Oratio factis tuis, vel minima ex parte respondere possit: quicq; quo plura dixerit non plura semper omisſisse, & omittere in tanta rerum laudatissimarum infinitate necessario debuise videatur?

Præterea iniquè & in Sanctitatem Tuam iniuriosè iudicare necesse est, quicumque ex te patre mitissimo fastidiosum plus & quo Alexandrum aliquem facere conatur: vt sicut ille se à solo Apelle pingi, & à Lysippo fingi in orbe suo edixit; ita te nō nisi eloquentissimi orbis vñueri homines celebrare debeat. Nec verò cuiquam merendum est, ne tu in eos qui quocumque te possunt modo, non quo debent, collaudant; ad exemplum ambitiosi illius Macedonis, tamquam in sacrilegos animaduertas. Tu enim Pater Beatissime, in hoc totus ab illo dissidens, & te totum tuo meritorumq; tuorum pretio estimare solitus, nec laudibus tuis præconem Homerum exoptas, nec qualcunque Chærili alicuius versus fastidiosè repudias: sed exemplo eius, cuius in terris vices geris, DEI OPT. MAX. & clementissi-

mo Patri conuenienter, premio factorum tuorum tantum in conscientia tua, & non vanis hominum laudib⁹ posito, balbutientes tamen infantium quoque, & lactentium voculas æqui bonique facere consueisti.

Quod verò nunc præter cæteros, viros vndiquaque doctissimos ipse surrexerim, neminem intelligentem mihi vitio daturum confido: qui sicut ipsis silentii sui rationes non defuisse credo, ita mihi idoneas in publicum prodeundi caussas constare arbitratus sum. Sic enim mecum cogitaui, hoc tantum tuum beneficium hodiernum, hanc tam illustrem caritatis in Augustissimam familiam Austriacam prorsus paternæ testificationem, à Germanis quibuscumque & Austriacæ familiæ clientibus præter cæteros suspici, & estimari debere. Ceterorum igitur omnium absentium nomine hoc mearum partium esse arbitratus sum, & huius ipsius facti respectu tibi gratulari, & alia quoque amplissima opera tua, quæ similiter ferè ad Austriacam dignitatem, & sublimitatem spectant, recensere.

Iam autem illis alteris, qui hanc gestorum tuorum quamdam vñut historiam ab huius loci, ac diei solennitate alioñorem putant, in eoque iudicium meum accusant: ita à me hac oratione tota satisfiet, vt & ipsos in consilii mei rationibus benignè acquieturos existimem: eūm præsertim intellexerint, quod relatione ista ferè non nisi præclara, & admirabilia tui in Austriacos affectus specimina complectar; eatq; adeò cum hodierna festiuitate quām coniunctissima esse oporteat.

Denique ab ultima nonnullorum suspicione, quasi Assentationem aliquam hæc coram te instituta laudum tuarum recensio clamculum alat, facile & non operosa quidem excusatione liberum me fore spero. Re enim ipsa patebit, me de inusitatis & supra consueta aliorum exempla positis factis tuis ita dicere, vt summam eorum vix delibæsse videar, nedum vt ea (quod iam Assentatoris est) maiora, quam reab se sint oratione mea efficere studeam. Et si sanè reperiri in hoc eruditorum flore quempiam contingeret, (quod tamen optare tantum licet, nam sperare nequaquam possumus) qui virtutes tuas dicendo adæquaret, quid ille tamdē facere existimandus esset, nisi quod fas piūm⁹, nisi quod cum magna nostrum omnium utilitate coniunctum foret? Talem enim Pontificem laudare nusquam non licet, nusquam non decet, immđ nusquam non oportet: hic verò tuto etiam potest; ybi tot tantæq; auctoritat̄ testes, Amplissimum nempe Illu- strissi-

strissimorum Patrum confessum, ad perhibendum assertioni tuae testimoniū promitos paratos habere queas. Neq; autem B. P. in hac tanta tua sapientia, vel assentatoriē deliniri posse, vel aliud quicquam admoneri videris, nisi ut tui similis permanere, ut quorum operum fundamenta iecisti ea exstruere, quae affecta habes confidere, quae confidis, bono publico & Austriacae virtutis incremento porrō quoq; destinare velis.

Quae cūm ita se habeant, mihiq; satis acceptum atque persuasum sit, ipsam rerum maximarum historiam, quæque ex commemooratione talium percipi solet utilitatem, & voluptatem satis attentos mihi auditores reddituram esse: ambitiosior paullò in vos videri debeam, si audienceam à vobis Oratorum more pluribus verbis benignam obtinere coner,

Vt igitur hinc potissimum exordiar, Ex omnibus tuis, Beatisime pater, confiliis & actionibus, eam tibi hominum omnium opinionem peperisti, vt quas alii sèpe singulas in ceteris Pontificibus virtutes feras animaduertere, morum scilicet Sanctitatem, Sapientiam, Liberalitatem, & Auctoritatem: eas nos in te pariter pleneque coniunctas esse, inque familiam Austriacam præter ceteros eximias semper suisse non possumus non vehementer admirari.

Nam ut ceterarum rerum tuarum gestarum, quæ tantæ sunt, vt non orationem modò nostram, sed & cogitationem excedant, temporis etiam ratione habita, mentionem facere prætermittam: ex iis, quæ haec tenus in Rempub. Christianam & consuliisti & fecisti bene, ea selecta, quorum numerus non sine ornine & mysterio quodam nominis tui numero respondeat, plenissimam & uberrimam verbis meis fidem facere poterunt.

Osto enim sunt, Octo sunt Auditores, quæ Octauum hunc Clementem nostrum in eminenti inter ceteros, vel optimos quosque Pontifices loco collocarunt: quæ Austriacam cum primis familiam, solam illam Augustissimam, æternō Deuotionis nexu ipsi obstrinxerunt: quæ denique non nisi ab eo, quem morum Sanctitas Reuerendum, Sapientia Clarum, Liberalitas Amabilem, Auctoritas denique Parentem reddidisset, proficiisci potuerunt.

Ac principio quidem temporis illius in mentem mihi venit, quo tempore nescio qua calamitate dissentientibus Poloniae Ordinibus, & his quidem Serenissimum de Augusta domo Austriae Archiducem Maximilianum, illis vero Suetia Principem Sigismundum ad capessenda

senda Regni sui gubernacula aduocantibus, èd res rediisse videbantur, vt collis inter se tantis prouincijs sine ingenti utriusque partis detimento & clade notabili ne minimam quidem pacificationis spem capessere liceret. Et profectò in magnum denique incendium gliscens iste discordiarum ignis excreuisset, nisi tu, Beatisime Pater, missu Sixti V. summi tum Pontificis, pacificatoriam illam Legacionem in te suscepstam sic denique confecisses, vt soperis & restinctis odiorum seminibus, eam utrisque pacem redderes, qua firma & constanti in hodiernum usque diem perfructi fuerunt. Magnum, fateor, Summi Pontificis ea in re momentum fuit, magnum pondus: nec fieri etiam potuit, vt cuius tum mittentis faciem repræsentabas, eius tu mandatis auctoritatē tecum non afferres: Verumtamen, quod omnis æui exempla docuerunt, nescio quo modo fiat, vt ipsius sèpe Legati maior sit, quammittentis in toto negotio, vis & auctoritas: quo fieri videmus, vt à Legato sape labore non magno conficiantur, quæ ipsi ableganti factu plusquam difficilia futura essent. Habet enim rū taciti aliquid ponderis eius Legati præsentia, qui huiusmodi de se opinionem concitare possit, vt non nisi fideliter & considerate (quorum hoc sapientis, alterum viri boni & amici esse solet) consulturus videatur. Quamquam maiori ne auctoritate, quam studio & industria in Pace illa fermè desperata concilianda vsus fueris, dictu sit admodum difficile. Assiduo enim ob animum mihi obuersantur, quæ unicum studiorum & fortunarum mearum patronum Virum Illustrem Ioh. Matthæum Wackerium, Cæsarum nunc apud te Internuncium, qui eodem tempore ad sanctiendam pacem illam à parte Serenissimæ familie Austriae adhibitus fuit, sèpius memorantem audiu. Is namque tanquam oculatus testis (cuius generis vnum aliquem decem auctoris testibus potioreme esse didici) numquam fibi satis collaudare posse visus est, quos tum labores diurnos, nocturnosq; id ætatis & dignitatis ab Apostolica Sede Legatus suscepseris: quanto consilio, studio & gratia de pace constituenta nixus fueris, quot itineris in quo anni tempore lutofa, & aspera via confeceris: quanta tolerantia vehementer locorum istorum vim frigoris, hiememq; vix ipsis tectis sustinendam exceperis, qua patientia tempestates, imbræscq; pestulæ: qua denique contentione quicquid vel minimam pacis componebant rationem ostenderet, arripueris. Hoc nimurum, hoc Auditores tam auspicatum debuit esse principium, hoc illud tam laudabiliter positum rudimentum, quod nos ad spem multò maximam, eamq; verissi-

verissimam erigeret, vt qualis ille in Pontificatu futurus esset, qui eam Pacis rei nobilissimæ, & pulcherrimæ cupiditatem, eam auctoritatem, sapientiam, & industriam ad obeundam Legationem tam difficilem attulisset, certo nobis polliceri possemus.

Et verò nō multò pōst nec animum, nec consilium sibi ad longè ampliora, & maiora quædam præstanta decesserūt evidenter comprobauit. Commodū namque ad illum cœlo proximum & diuinum inter homines locum plerorumq; omnium suffragiis euēctus fuit, cùm rem post homines natos sanctissimam & difficilimam aggressus, (alterum nunc pulcherrimum eius facinus narrare incipimus) Sapientiæ & Auctoritatis suæ operâ, stupentibus hominum animis feliciter confecit. Illum namque tot multorum annorum præclisis inuictissimum, tot victoriis felicissimum, tot denique triumphis clarissimum, & inclitissimum Henricum Quartum Nauarræ Franciæ Regem, qui blandis & fallacibus hæreticorum sermonibus iam puer oīum inductus, à maioribus suis Christianissimis Franciæ Regib; degenerare cæperat, seſetq; ab reliquo Catholice Ecclesiæ corpore auferat: Illum igitur Beatissimus hic noster discussa errorum nebula in veritatis lucem intuentem, & hæreſeos nefariæ ſeria duc̄tum pœnitidine, poſt ſeuerum, & curiosum prorsus examen, culpam publicè agnoscere, ad Ecclesiam redire, sanctissimis suis pedibus ſe aduoquere, & precibus veniam denique humiliter expofcere subegit. O rem omnium omnino laudatione ſuperiorem. O facinus præclarum, & nulli ſæculorum obliuioni obnoxium. O officium vero & bono Paſtoře, hoc eſt, Clemente nostro dignissimum. Quis tuam, Pater Sanctissime, Pietatem non veneretur, quod reconciliata vniuerso gregi iſta ouicula pontificatum tibi auspicandum existimasti? Quis sapien- tiam non admiretur, quod viam, qua rem cunctis desperatam confi- ceres, reperiſti? Quis auctoritatem non vereatur, quod apud Regem ad Hærefin pæne natum priūs, quam factum; imbutum verius, quam institutum tantulo interuallo tantum valuisti? Imperitum nempe rerum eum esse oportet, qui, quanti vnius etiam hæretici cum Catholica Ecclesia reconciliatio laboris fit, ignoret. Quemadmodum enim faxum quodpiam nullo negotio de monte deiectum non niſi ingenti, & prorsus Syſiphio labore denuo in ſumnum montem reuolui potest: ita quem de sancto illo monte Sion, hoc eſt, Ecclesia Catholica vel fraudes Sathanæ, vel ſulta, & otiosa credulitas, ac ſimplicitas ſemel deturbauit, ægræ in pristinum ſuum locum reſtituere, & colla- care

care queas. Abeat igitur in ſecula, audiant hoc pōſteri, loquantur Annæ, diſcant & repetant nepotes: Exſtitisse ſuo noſtro Clementem Octauum, qui Regem tantum tamdiu nolentem quaſi & repugnantem cum Apoſtolica ſede denuo coniunxerit, qui Christianiſimo- rum Franciæ Regum continuatam ſinde ab Hlodoueo ſeriem inter- rumpi vetuerit, qui ſeditiōſorum Tribunorum, ſive Prædicanum nouellorum furoribus exſulanter iam fidem Christianam poſtli- minio restituerit, qui omnes denique Optimi Maximi Pontificis nu- meros examiuiſſim absoluerit, & impleuerit. Tanto nimirum laudem eius maiorem eſſe oportebit, quanto mirum magis fuit, in noſtrum hoc ſæculum tantam infelicitatem potiſſimum incidiſſe, vt eo nimiri- um de Christianiſimo Francorum Regum ſanguine à Catholica Ecclesia ab alienato inaudiri poſſet.

Tertia iam nobis rerunt tuarum præclarè geſtarum explicanda venit; quæ haud ſcio, an non inter ceteras emineat, inſignem certè & inuifitatem Christianæ fidei propagandæ cupiditatem, pari Liberali- tate coniunctam præ ſe ferre quiuis fatebitur. Annis ergo ſuperioribus, vt Paſtoralē tuam in commiſſo tibi grege tum conſeruando, tum augendo curam, & ſollicitudinem, & paternas pro Austriaco- rum commodiſ excubias omnibus approbares, incredibiles plane labores ſponte in te ſuſcepisti, vt conſederationem quamidam Chri- ſtianorum Principum, in iis Regionibus, quæ totius Christianitatis quoddam quaſi propugnaculum exiftunt, aduersus iurātū fidei no- ſtræ hostem Turcorum Tyrannum erigeres. Et cum Poloniſ quidem, non ſine ingentibus in eam rem impensiſ, & singulari duorum num- ciorum, ac Legati tui Cardinalis Caſetani, Viri cū genere, tum ra- riſſimis quibusq; naturæ dotibus præclarissimi, dexteritate, fide, & induſtria, idipſum ſedulū egisti: Vtque non auctoritate ſolum tua eos ad conſilium tuum adiungeres, ſed exemplo quoque ad piam quam- dam emulacionem incenderes, atq; illiceres, aliquam multa centena aureorum millia annua ad ſumtuos bellicos ex arario tuo liberaliter collaturum te promiſisti. Eant nunc hæretici, eant; & Sedem Apoſto- licam pro innata ſua maledicendi promititudine, te viuo coniuici ſuis flagellent. Nulla tamen ætas vñquam tam erit in uida, nulla tam in- grata posteritas, quæ vel hoc ſolo nomine non æternasti b; gratias debere, tuiq; memoriam nominis immortalitati conſecrare velit.

Eſi autem non omnia tum temporis ſecundūm vota tua fluxe- gunt, ac Poloni ſaciundum ſibi ratit ſunt, vt ne pro pace certa incertam

victo-

GASP. SCHOPPI FRANCI

victoriæ spem, tantamq; bellū Turcici molem amplectentur: Tuta
men, quod summum pastorem populorum decuit, quid factu esset
optimum, in medium consulere, & officijtui partibus egregiè defun-
gi voluisti. Ac quemadmodum peritus olim Magister in periculosis-
ma maris tempestate, nauim quidem suām saluam fore præstare ne-
quit: ne tamen in ea conseruanda quicquam artis, aut muneris sui de-
sideretur, facere potest, & liberè proclamare.

*Neptune, vt totum moueas insine profundum,
RECT A tamen pessum nauis itura mea est.*

Similiter si quid aliter nonnunquam accidat, tuasq; spes & monitio-
nes paternas frustretur, quod tui tamen esset officij, quod sapientiam
tuam argueret, quod rarissimæ & prorsus Reginæ liberalitatis speci-
men daret, non sine sumtibus tuis impensisimis abundè præstisti.

Venio nunc ad quartam illam rerum laudabiliter à te gestarum:
in qua nemo vel tuum in proferendis Christianitatij finib; pium
ardorem, vel profusam in auxiliaribus copijs pro incolumentate Au-
striaca sustentandis liberalitatem, vel optatum etiam & responden-
tem votis exitum merito desideret. Quis enim eorum, quæ non olim,
sed heri & hodie gesta sunt, tam turpiter ignarus reperiri potest, qui
nesciat, quæ tua fuerint quantique momenti diuersis vicibus Sacra-
tissimo, & optimo Cæsari missa in Pannoniam auxilia? Cùm enim an-
nis superioribus crudelissimus & potentissimus omnium, quos fides
nostra inimicos habuit, Turcorum Imperator, Vngariam vi, armisq;
populabundus ingressus esset, & Regnum nobilissimum, spreta
omni data fidei, & Sacramenti religione, numerosissimo exercitu
subacturus videretur: tu officio tuo conuenire, idq; paternum illud
nomini requirere merito iudicasti, vtte filio tuo, obsequientissimo in
tanti societatem belli offerres, ceterisq; Christianis Principibus bo-
num, & dignum Religione nostra exemplum præhiberes. Ac quan-
tum ijs in Vngaria profectum fuerit, nihil hic memorare attinet. Suf-
ficit Italici militis fortitudinem, quæ ductu & auspicio Ioh. Francisci
Aldobrandini spectatissimæ in armis, virtutis, & prudentiæ, Viri,
planè singularis, Strigonio præsertim & Plindepurgo captis, enituit,
clariorē esse, quam vt à me in Italorum hominum præsentia col-
laudari, lucemq; mutuari debeat.

De eo, quod ego inter cæteras res gestas tuas quinto loco asti-
mare, & admirari soleo, dę recuperato, sedijs Apostolicæ reddito hoc
nobis

PANEGYRICVS

nobilissimo Ferrarensi. Ducatu: haberem certè, Beatissime Pater,,
quæ summa cum laude coniuncta à me dici possent: sed hic vel ma-
ximè modestiaæ aurum tuarum parci debere intelligo. Eius igitur
laudis loco, quam ex bonis Ecclesiæ fideliter administratis, & ex
bello, quod omnes graue & cruentum metuebant, tam sapienter de-
clinato consecutus fuisti, Eius inquam laudis loco, hæc à me optima
semper prædicabitur, quod illam ipsam laudem totam à te alienam
esse cupis, ne scilicet aut aliorum aduersis gaudere, aut ijs qui se pedi-
bus tuis humiliter abijciunt, insultare videaris.

Illud autem, quod sextum nuper virtutum, & laudum tuarum spe-
cimen edidisti, bello illo diurno, & desperato inter duos potentissi-
mos Hispaniæ & Franciæ Reges cōposito, non sic defunctoriè obi-
terip dici, sed accurate eloquentissimorum quorumque linguis, ac
stilis meretur prædicari. Quantæ enim (proh. Deum immortalem)
Auctoritatis illud fuisse censendum est, quod rem longè difficilli-
mam, & ab antecessoribus tuis prorsus desperatam ipse denique ad
exitum optatum, & felicem perducere potuisti? Nisi quis exiguis con-
stitisse laboribus existimat, duos Christianorum reges maximos, &
potentissimos grauissimo, & diurno bello non tam de aris & focis,
quam ipsa vita contendentes, in ipso quasi armorum strepitu, & si-
gnorum collatione, ybi vel maxime consilium repudiare solet ira-
cundia, suis partibus interpositis in nouam Concordiam redigere, &
pacem inter eos firmam, ac perpetuam constituere. Cuius item fuit
sapientia, quam hæc Christianorum concertatio Ecclesiæ vniuersæ
luctuosa, & acerba, inimicis autem vnicè iucunda: votisq; omnibus
expetenda esset, quibusq; eam modis componere, & pacare oportet
perspicere? Tuum ergo nunc, Pater Beatissime, munus est, tuum
beneficium, quod Gallia tandem, cuius mille calamitatibus nullus
locus, nulla regio non est plenissima, sedatis & extinctis bellorum
incendijs, pacem, Pacem inquam, cuius nomine nihil dulcior, re ni-
hil salutarius cogitari, aut sentiri potest, sécura iam experitur. Non
iam igitur abiecta, & prostrata prius Religioni Hæresis illudet; non
iam impiorum furor ipsis templis, ipsis aris & sacris Diuorum im-
ginibus manus sceleratas intentabit; non ferro, non flamma perdi-
torum illorum immanitas grassabitur. Exsulabunt illi, Exsulabunt,
mihi credite, pestes istæ tota Francia exterminata, ipsis sæpe Regibus
Christianissimis imminere solitæ. Vtcumque autem nunc toferen-
tur, metu scilicet, ne cum illis pariter pars sincera trahatur, erit tamen,

& vt breui sit, Deus nobis exorandus est; Erit, inquam, vt earum nullum in Gallia vestigium appareat.

Tuum quoque, Pater Sanctissime, Annalibus decus memorabitur, pulcherrimum Boni seculi instrumentum, literas nimirum, & Musas ipsas armorum sonitu proterritas in Galliam, & Europam vniuersam, in quam ex illa sola, quicquid argutum & elegans, profluxit, postliminio velut reduxisse.

Tui etiam consilij prudentissimi opus perhibebitur, Christianas in Europa vires constabilisse: cui delecta Gallia pulcherrimum lumen effusum, & non exiguum sane momentum ad subigendos olim fidei hostes ablatum videbatur.

Denique (quod solum vnicæ cuiusdam & singularis sapientiæ exemplum est) vidisti summas illas Catholici Hispaniatum Regis vires fidei potius Christianæ, & Austriacæ gloriae (sic enim Dei Opt. Max. consilio constitutum videmus esse, vt hæc perpetuo apta invicem & connexa sint) incremento reseruandas, illamq; efflorescentem Serenissimi Archiducis Alberti virtutem ad maiora, & aliorum conatibus imparia quædam integrum remittendam, nec acerba illa cum Christianis collisione hebetandam esse. O verè igitur sapiens, ô pie prudens tuum, Pater Beatissime, consilium, cuius te gloria postquam inter homines esse desieris, & cœlestia antecessorum tuorum domicilia petieris, maior sit mansura: adeò vt si quid hominum sermonibus, si quid laude, si quid dignum memoria his heroum tantorum viribus olim profectum fuerit, id omne secundum Deum tibi potissimum, tuisq; cogitatis sagacissimis acceptum ferrí debeat.

Septimò autem ne quicquam intentatum relinquere credaris, quod ad fidei, & Religionis Christianæ propagationem, & omnibus modis ornandam, atque ad summa quæque prouehendam Augustam Austriacorum domum pertineat, omne tuum studium, omnem laborem, omnem curam & solicitudinem eò cuncti à te conferri, vt vount & optant, ita non inconuenienter credunt, vt generalis quædam inter Christianitatis proceres confederatio, & ad bellum Turcicum conspiratio sanciatur. Sic nimirum non immixtò iudicas, sic tibi firmiter persuades, magnum nunc in Austriaca virtute, & potentia ad conseruandam, & locupletandam Religionem nostram momentum esse positum, cum ea pariter in flore duraturam Ecclesiam, cum eius exitio Christianorum omnium periculum esse coniunctum, cum ea demum deuictis, & prostratis omnibus haereticis,

omni-

omnibus paganis, omnibus denique Dei & Christi ciuis inimicis, Religionem nostram sanctam insultaturam esse: & omnes adeò, qui, ne quid respub. Catholicæ detrimenti patiatur, serio exoptant, in hanc Catholicam Austriacorum familiam certatim opes, & auxilia sua congerere debere.

Quamuis autem ad eum, quem animo voulisti, & tecum præcepisti, exitum res tota deducta nondum fuerit: absit tamen, vt quicquam eo nomiue de hac laude tua à quoquam delibetur. Cùm enim in omnibus rebus magnis memoriaq; dignis, consilia primùm, deinde acta, postea euentus à sapientibus spectari soleat (nam de inconsulta plebe nihil dico, à qua prudentissima etiam consilia euentis tantum ponderantur), quis tam, iudicij peruersus inueniri queat, qui non summum illum ardorem, quem ad rem tam sanctam, & piam confiendam attulisti, summopere commendare; liberalitatem in conferendis ad confederationem sumtibus admirari; postremq; sapientiam & auctoritatem tuam in prouidendis, & iubendis omnibus, quæ ad negotium tantum requiruntur, maximis aliorum gestis ad laudem, & honorem anteferre velit? Tu modò, Pater Sanctissime, quod exorditus es opus, feliciter pertexe, & immortalem summi illius beneficij gloriam, quo Pius olim Quintus inita, & constituta cum Rege Catholico, & Venetis belli societate posteros sibi omnes deuinxit, superare & longo post te interuallo relinquere contendere. Totus ecce Christianus orbis oculos in te vnum conuersos habet, te veneratur, tibi supplicat, ut si omni paganorum metu liberare, pacem veram, & perpetuam afflito sibi restituere, illud olim Musarum domicilium, illam omnis sapientiæ sedem Gratiam, barbaris eruptam cum Imperio Romano, & Sede Apostolica coniungere, & constitutam tamdem cunctorum concordiam seueris legibus vincire velis. Hanc igitur curam, hanc cogitationem virtute tua dignissimam suscipe, vt ostendas mundo, quā tibi salus publica cordi esse soleat. Quicquid studio, quicquid gratia, quicquid auctoritate potes, id vt omne in hoc communiceedere sanciendo appareat, enitere. Ne, te quæsumus, commite, vt alij in hac summa rerum commoditate, & occasione insperata bono te publico deesse, & honestissimam Austriacæ aduersus Turcas victoris societatem, aut neglegere, aut quodammodo minus curæ habuisse existimant. Illud enim nunc est, illuc res redijt, vt Iaurino nuper, hostilium in Vngaria virium præsidio in potestatem suam redacto Sacratissimus Imperator noster ad triumphandos potius Turcas,

cas, qui vinci non posse putabantur, quam ad sustinendos eorumdem impetus societate quadam egere videatur: ad quam, ut tecum simul ceteros Christianos Principes adiungas, omnes nos, quicunque rem pub. saluam cupimus, vnicè optamus. Sed me plura hac de re verba facere pudet, ne aut tuæ in ponderandis rerum momentis prudenter, aut voluntati in procurando, & administrando bono publico diffusis esse videar.

Ad Octauum igitur præclarum tuum facinus, hodiernas nimirum & præsentes Catholici Hispaniarum Regis, & Serenissimi Archiducis Alberti Nuptias tua auctoritate conciliatas, liberalitate celebratas, & faustis Apostolice Sedi omnibus benedictas accedo. De quibus vtinam sic ego pro dignitate, & merito perorare queam, vt se mihi latus & amplius ad dicendum campus ostendit. Quamquam verò vi- le munus esse, pro tanto beneficio compositis verbis tibi gratiam re- ferre velle, ipse præ me fero: Augustæ quoque gentis Austræ splendo- rem nullius vel disertissimi commendationem desiderare: me quo- que (ne auditorum patientia abutat) finem Orationi facere debere intelligo: illud tamen tacitus nullo modo præterire possum: Et ipsos nouos sponsos Augustissimos non maiorum dumtaxat suorum vir- tutis & præstitorum Sedi huic Sanctæ meritorum, sed indolis etiam propriæ ac spei apud omnes de se concitatæ gratiam hodie & fru- ctum cepisse: Et te quoque, Pater Beatisime, tale quid hisce conciliatis nuptijs præstissem, cuius nomine singularem à tota illa familia gratiam inijsse videaris.

Primum enim ea est Familiae ipsorum dignitas, & maiestas, vt ab omnibus ceteris merito coli, & obseruari, à te etiam & Sede Aposto- lica ornari cotidie, & omnia paternæ caritatis, ac benevolentiae signa experiri debeat. Non enim potentior, non illustrior hoc seculo domus in orbe Christiano fulget, vt verè quod de Iulia olim domo Ho- ratiis cecinit, meritissimo suo de hac dici debeat:

micit inter omnes
Austrium fidus, velut inter ignes

Lunam inores.

Hæc & plura fu-
sè tractat
V. CL.
Steph. Pi-
ghius in

Floret enim, vt iam à plurimis annis, ita nunc temporis in summo ho- norum, ac dignitatum culmine posita: refulgetq; vt coronis sceptrisq; Imperatorijs Augustis decem, octo Regijs: sic etiam imaginibus, atq; indicibus Augustorum, seu Imperatorum decem, Augustarum duabus, Regum octo, Reginarum sedecim: referata est, Archiducum, Du- cum,

tum, aliorum Principum imagines, tiaras, circulos aureos, & gemma- tos hic longum esset enumerare. Reuoluas annales veteres quo suis, & Prodigio genealogias principum Christianorum omnium examines licet: humiliò verè quam tamen tot in vna stirpe sublimia imperia: tot diademata, tot sce- ptra, atq; in hac vna reperies: quam multis ab hinc annis Cuspinianus scripsit ex vnicâ Habsburgensium familia quinquaginta septem ma- sculos Principes, vel Cæsares, vel Reges, vel Archiduces, Duces, aut Comites produxisse, & in qua Romanum Imperium per sex Augu- stos ultra hominum memoriam, & sæculum integrum continuatum videmus. Quid reperiri poterit rarius, excellentius, aut illustrius? Fri- uolum, ac leue est exemplum, si hæc consideres, quod Plinius vt stu- pendum femininæ felicitatis, atq; nobilitatis miraculū adducit. Vna, inquit, feminarum in omni ævo Lampedo Lacedæmonia referrur, quæ Re- gis filia, Regis vxor, Regis mater fuit. Plura profectò, & maiora decora inter Principes Austriadas reperies. Longè etenim Lacænam illam Lampedona excellit Elisabetha Poloniæ Regina, quæ Imperatoris Cæsar, ac Regis filia, & neptis, Regis soror, Regis vxor, Regum qua- tuor mater, & denique Regis auia fuit: nimirum nata ex Alberto V. Imperatore, Boemijæ & Vngariæ Rege, auum maternum habuit Si- gismundum Imperatorem Boemijæ & Vngariæ Regem: fratrem La- dislaum Vngariæ & Boemijæ Regem: maritum Casimirum Poloniæ Regem: & filios protulit Reges Vngariæ, Boemijæ, Iohann. Albertum, Vladislauum, Alexandrum, & Sigismundum: addatur & Fridericus, quintus filius, qui ad Cardinalatum, regiæ parem quippe dignitatem eueritus est: Auia quidem fuit Ludouici Boemijæ & Vngariæ Regis, Quid ista felicitate felicius, aut nobilitate nobilior? Fulget tamè nunc etiam temporis, vt vnicâ phœnix, clarissimæ, atq; omnium virtutum dotibus præstantissimæ heroinæ Mariæ Maiestas, quæ proauum Ma- ximilianum I. Cæarem, & Philippum I. Regem Catholicum aquum habuit, quæ Carolum V. patrem, Ferdinandum, patruum, Imperato- res Cæsares Augustos vidit, & amitas reginas quatuor. Ipsa Maximili- anii II. Imperatoris, Cæsar Augusti vxor, Philippi II. Regis Catholi- cis soror, Rudolphi II. Imperatoris, Regis Vngariæ & Boemijæ, & dua- rum reginarum, vnius in Hispania, alterius in Gallia mater, & huius etiam ipsius Regis Catholicæ auia effecta. Tanta nimirum decora, tam rara fecunditatis exempla in ea domo reperiri oportuit, quæ barbaræ Ottomannicæ potentia rabiæ à ceruicibus nostris depellere deberet.

Potentia quoq; eiusdem familie tanta est, vt quam Romani Imperij Austriacæ magnitudinem cum stupore quodam omnium sæculorum homines familiæ admi-

potentia, admirati fuerunt, si cum hac comparetur, iudicis, iocuq; p;ate videri & imperii debeat. Habent enim Austriaci non Nouum dumtaxat Orbem, siue magnitudo. Americanam, quæ sola reliquias tres mundi partes Asiam, Africam, & Europam magnitudine adæquat, ac proinde Romano illo Imperio (etiam cum in flore & æcum sua stet) multò maior exsistit. Sed insuper magnam etiam ipsius Romani Imperij, & reliqui Orbis partem possidet. Vt enim de Gloriosissimo Romanorum Imperatore R. V. D O L P H O nihil dicam, qui cum hodierno Imperio florentissima Vngariae, Boemiae, & Croatiae Regna, mult. scq; Principatus coniunxit: quis nescit Magnum Hispaniarum Regem PHILIPPVM nostrum Tertium, quatuordecim quidem in Hispania Regna continuare, & sublimia Lusitaniae sceptra ad Indos vsq; pretendere, tum Neapolitanum quoq; Siciliæ, Sardiniae, Maioricæ & Minoricæ Regna, maximamq; Italie huius partem sceptra eius agnoscere: Burgundiam verò, & illum prouinciarum ocellum, ac delicias, Belgiam scilicet, siue Inferiorem Germaniam Principatibus pluribus luxuriantē, & cuius regno minimè posthabendam Serenissimo huic Archiduci Alberto subiectam esse? Frustra igitur sunt, & cùm ipsi se fallunt, tum in similem errorem alios inducunt, qui vel Macedonicum Alexandri Magni, vel Assyrium, vel Persicum, vel quæ posterioribus sæculis emertere, Ottomannorum, siue Turcicum, Sophorum, Tartarorum, aliorumq; Imperiorum cum hoc Austriaco comparare audent. Tantum enim abest, vt illud æquiparent: vt singula contrà quoddam illius quasi centrum, siue punctum constituere videantur. Aded ergo quod de Roma Ouidius scripsit:

Gentibus est alijs tellus data limite certo;

Romanæ spatiū est Vrbis, & orbis idem.

verēnos, & multò verius de Austriaco Imperio pronunciare possumus:

Regibus est alijs tellus data limite certo;

Imperijs spatiū est Austrij & Orbis idem;

Austriaca familiae pietas & merita in Ecclesiam Catholica. Nolumus tamen, Pater Beatissime, vt hæc ipsorum Nobilitas Augusta, & stupendum humanæ maiestatis, ac potentia exemplar, quicquā laudis habeat, nisi ea omnia Christi semper, & sanctæ Apostolicæ Sedis auctoritati, gloriæq; fuerunt ancillata: nisi eo semper animo Austriaci fuerunt, vt non minus Ecclesiæ, quam sibi prouincias suas parere, & subiectas esse cuperent: nisi Alberti fuerunt, qui Hæresis Husiticæ propugnatores in diuini nominis gloriam, & ad conseruandam sedis huius auctoritatem compescerent; nisi Fridericos ea dedit familia, qui

qui Germanos ad eamdem Hussi hæresim inclinantes in obedientia Ecclesiæ conseruarent, qui schismata de huius sedis occupatione per violentiam quorundam nata tollerent, qui auctoritatem Apostolicam perperam usurpantes, vel ementientes in ordinem redigerent: nisi etiam Caroli ex ea memorantur, qui Turcorum impetus Ecclesiæ Catholicae bono eluderent, & reprimerent, qui Germania Regulos ingenti militum numero hæresim suam tueri contendentes mirabiliter compescerent, qui Religionis deniq; Catholicæ amore VALE rebus mundanis dicto, & Imperio abdicati diuinis meditationibus immorerentur: nisi Philippi inde sunt exorti, qui per Hispanos suos Catholicam fidem in infinitas hominum myriadas disseminarent, qui Nouos Mundos sanctæ huic Sedis subiugarent, qui ingenti hæreticorum odio, eorumq; extirpandorum ardore suas ipsi segetes vrere, & pulcherrimis Belgij vrbibus hostile aratrum imprimere numquam recusarent: nisi postrem hodieq; Austriaci omne suum studium, & industria in eo collocant, vt omniē Regnorum suorum finibus hæresi exsulante cuncti iussa Sedis Apostolicæ capessant.

Hæc igitur illa sunt, quibus & maiores suos, & seipso hodierni Sponsi Augustissimi Sanctitati Tuæ cōmendare possunt. Neque etiam dubitare fas est, eos studium ergo eamdem Sacrosanctam Sedē, quod à maioribus suis quasi hereditarium acceperunt, & cum ipso velut nutricis lacte mente tota penitus combiberunt, sedulò conseruaturos, & illam, quam Diuorum maiorum suorum vestigijs signatam, atque impressam intuentur, viam toto pectore, omnib; animi contentionē secuturos esse. Id quod tibi & illa domestica apud summum prudentiæ magistrum PHILIPPVM II. institutio, & præclara emicantisq; PHILIPPI III. indoles, & Serenissimum demum ALBERTI edita maxima incredibilis prudentia in Lusitania, & summa virtutis in Gallia ac Belgio specimina, & ardoris, artisq; in compescendis hæreticis documenta pli sancte pollicentur.

Atq; hinc etiam satis apud cunctos doceri potest, quām bene hanc tuam in conciliandis, celebrandis, & benedicendis hisce Nuptiis auctoritatem, liberalitatem, & amorem paternum collocaris. Hoc enim modo, & grati tui animi in omnes eos, quorum in locupletanda fide Catholica notum est studium: egregiam omnibus significationem edidisti: & iudicio tuo sapientissimo hos ejusdem familie Sponsos præceteris orbis Christiani summatibus honestiores fecisti: & ijsdem ad benè, & præclare de Sede Apostolica, & Religione nostra porrè etiam merendi gnum addidisti: Denique, vt multa paucis absoluum, ma-

gno hodie præterita tua, & ea quidem pulcherrima in Austriacos beneficia auctorario decorasti.

QVÆ cùm ita sint, primùm maximas tibi, Beatisime Pater, omnes gratias agimus, & habemus pro singulari tuo, & plusquam paterno in hanc Serenissimam domum, vnicam fidei Christianæ propugnatriæ, affectu: deinde D E O O P T. M A X. ardentissima pro vita, ac salute tua vota certatim facimus. Quocirca te I E S V C H R I S T E appello, te veneror, te imploro, vti quem tuam in terris vicem gerere, ac personam sustinere voluisti, ei gratiam, ei Spiritus tui Sancti auxilium volens propitijs largiaris, eum ducas, eum gubernes, vt quæ aeterno Ecclesiæ dilectæ sponsæ tuae bono cogitauit, quæque cœpit & affeta habet, ijs dignum principio, dignum auctoritate, dignum Sede Apostolica finem, atque colophonem imponat. Vosq; illæ victoriosæ Heroum Austriacorum animæ, quæ pro vita pure castæ transfacta, pro pio propagandæ fidei nostræ ardore, pro laboribus aduersus paganos, & hæreticos exanclatis in æternas Beatorum Sedes euectæ, & Diuorum numero accensitæ, quæ facimus, quæque dicimus, videtis, auditis. Vos, inquam veneror, vt vestros nepotes, vestrum sanguinem, in quibus situm est nostrum, & Ecclesiæ momentum, apud eum in gratia ponatis, & precibus vestris commendetis, qui regna, qui imperia, qui bellum, & pacem sua manu continent, vt nulla calamitas, nulla ægritudo, nullus casus aduersus huic Nuptiali gaudio intercedat. Vos ouantes, & triumphantes nostras in terris militantium indigentias intelligitis; Vos quantum in hoc Pontifice ad regendam Petri nauiculam scientiæ, ad reprimendam, delendamq; Turcorum tyrannidæ potentiaæ, & in ornandis vestris nepotibus benevolentiaæ fit perspicitis. Facite igitur adiuti efficacissimis Beatissimæ Mariæ semper Virginis precibus, facite, vt crudam, vt viridem, vt diuturnam, & quietam ipsi senectam à Deo Opt. Max. impetratis. Si omnia eius consilia, si dicta, si facta non lucrum proprium, non gloriam primitam, non gratia hominum; sed Ecclesiæ incrementum, sed pacem publicam, sed plurimorum salutem spectarunt, vestras apud Termaxitium preces interponite, vt olim aliquando in Catholica tuenda, augendaq; Ecclesia, nec Summo Pontifici boni Principes Austriaci, nec Austriacis bonus Pontifex defuisse videatur.